1528 *ac, ſi ſe occaſio obtulerit, nullo negotio vel populorum erga nos propenſione, vel minime munitis urbibus, vel copiis noſtris ea inſidentibus, in noſtrum ſinum caſura ſint; aut ſi ſpes aliqua pacis affulſerit, æquiores, ac honeſtiores conditiones habituri ſimus. Cur igitur ultro urbes illas reddendas vobis ſuadent, ex quibus bello, & pace tot commoda ſunt futura? Neque vero minora Pontifex conſequetur, qui ſi probe animadvertiſſet, prudentiumque virorum mentem exquiſiviſſet, non ea de cauſa Sypontinum Archiepiſcopum Venetias miſiſſet; neque ita vehementer a Senatu illa ſibi reddi petiiſſet, quæ non minus Reipublicæ damni, quam ſibi detrimenti eſſent allatura; cum milite, pecunia, atque omnibus rebus deſtitutus ſit, quæ ad illas tuendas maxime eſſent neceſſaria, ut ſtatim receptæ in poteſtatem Hiſpanorum conceſſuræ videantur. Atque iis ſi ſemel potiti fuerint, quibus viribus, ac copiis expellentur? Undique Eccleſiæ ditiones ab hoſtibus vexantur, crudele, atque intolerandum imperium in populos exercent, urbibus præſidia imponunt. Quid intereſt, his adjectis, an intra Romanæ arcis mœnia Pontificem detineant, an undique circumvallata illius ditione, Orbito includant? Hoc igitur Pontificia dignitas; hoc ſalus continetur? tot acta ſuperioribus annis fuere, ut Reipublicæ impenſis defenſæ urbes, tutatæ provinciæ non Pontifici accedant, ſed hoſti cedant? Reipublicæ pietas, religio, vetera, ac recentia in Apoſtolicam Sedem merita, præmia Cæſareanorum ſint? Quaſi vero labores a vobis ſuſcepti, copiæ terreſtres, maritimæ claſſes ad ſublevandam Pontificiam majeſtatem inſtructæ non exiguo hoc præmio dignæ ſint? Non occupatæ Venetorum armis Ravenna, ac Cervia fuere, veſtrum imperium per ſuos Oratores urbes implorarunt; populi expetiverunt; Clementis Nuntius poſtulavit. Quod ſi animos veſtros cupido totius Flaminiæ potiundi occupaſſet, an dubium eſt, quin ſtatim ſingulis oppidis, atque urbibus conſentientibus, finibus Reipublicæ fuiſſet adjecta? Teſtes Forolivienſes, qui ut in veſtram clientelam reciperentur, obnixe rogarunt; teſtes Bretinorenſes, qui aliquando veſtris ſub legibus floruere; teſtes denique Ravennates ipſi, ac Cervienſes, qui Pontificiorum Præfectorum pertæſi ad vos ſupplices confugerunt, ut in ſuas urbes Veneti magiſtratus mitterentur, flagitarunt. Sed*

vos